



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 15. Caroli Molinæi fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

quam præclarus hic Vir per quinquaginta vitæ suæ annos sancto huic labori sese cum insolito prorsus studio sacraverat, ac, si ita loqui fas est, superatis plurimum itinerum incommodis, ac infinitis propemodum Hispanorum vexationibus pro Indorum libertate Martyr evaserat, tandem suum Episcopatum summo Pontifici cedens Madritum sese recepit, ubi etiam anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, ætatis vero suæ nonagesimo secundo animam Deo reddidit.

§. XV.

Caroli Molinæi fata.

San. Marth.
elog. l. 2.
Dupin Bibl.
pag. 62. &
Juv.

Jam sæpius mentionem fecimus de Carolo Molinæo celebri Jurisconsulto, qui inter Scriptores hoc anno defunctos quintus erat: porro is anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo ex Joanne Molinæo, & Paretta Chastidonia Lutetiæ Parisiorum natus erat, ac jam anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo secundo Caustidicis accensebatur, ubi quædam ediderat opuscula, quæ tamen plurimum censuræ erant exposita; inter cetera autem maximam ipsi molestiam accersebat commentarius in edictum Henrici II. *contra parvas datas*: inde enim Romana curia tantopere irritabatur, ut
anno

anno a partu Virginis millesimo quin-
 gentesimo quinquagesimo secundo Pa-
 risiis exulare, atque in Germaniam
 aufugere compelleretur, ubi ejus liber
 per Parisiensem etiam Facultatem Theo-
 logicam damnabatur, necnon per edi-
 ctum a Regio Senatu supprimebatur:
 insuper cum idem vir absens esset, ejus
 domus fuit deprædata, ipse vero non-
 nisi Anno post Christum natum mille-
 simo quingentesimo quinquagesimo se-
 ptimo Parisios reverti permissus, ex qua
 tamen urbe ferente Religionis bello
 rursus exire cogebatur. Pariter ejus
 consultatio circa Tridentinam Syno-
 dum ipsi adeo funesta accidit, ut etiam
 ad carceres coniectus esset, ex quibus
 nonnisi Anno Domini millesimo quin-
 gentesimo sexagesimo quarto Regis, ac
 Reginæ regnantis jussu dimissus est:
 postea vero ad sua se recipiens elucu-
 brandis pluribus libris totum se impen-
 derat: ubi anno restauratæ Salutis
 millesimo quingentesimo trigesimo no-
 no suum commentarium in quamdam
 Parisiensem consuetudinum partem
 jamjam vulgavit, & circa annum mil-
 lesimum quingentesimum sexagesimum
 quintum suam quatuor Evangelistarum
 concordiam edidit, quam Aureliæ e-
 laboratam Carolo IX. nuncupabat; cum
 vero in hoc opere Calvini doctrinam,

&

Sæcul. XVI.
 A. C. 1566.

Sæcul. XVI. & errores impugnasset, hinc Ministri
A.C. 1566. illum acriter insectabantur, eorum fu-
 rore eo deveniente, ut hujus libri Ty-
 pographum, cum forte Genevam per-
 transiret, captum, & in vincula con-
 jectum die decima septima Decembris
 hoc eodem anno ad multam pecunia-
 riam damnarent, & librum a carni-
 fice ante Urbis Prætorium comburi
 juberent.

§. XVI.

*Ejusdem Auditoris libellus supplicis ad
 Senatum contra Calvinistas.*

Thu. hist. l. Ceterum Molinæus olim Calvinii Se-
38. hoc ann. ctam profitebatur, postea tamen
versus finem. ejurata hac hæresi in Germaniam pro-
 fectus Augustanæ confessioni nomen
 dedit, quam tamen iterum ad vitæ suæ
 exitum penitus execrabatur, ad Eccle-
 siæ Catholicæ sinum reversus; ubi haud
 parum injuriæ, quas a Sæctariis tole-
 rare cogebatur, ad ejus conversionem
 conferebant, quinimo ea ex ratione
 etiam Mense Februario libellum suppli-
 cem Senatui porrexit, in quo triginta
 quatuor accusationum capita protulit,
 quorum præcipua hic referimus. I. Cal-
 vinistæ ex Religionis obtentu seditio-
 sos cœtus agitant. II. pecuniam sine
 Regis mandato sibi adhærentibus im-
 perant. III. suorum Ministrorum con-
 ci-